



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 1. Sessio XXV. continuata: indulgentiarum decretum in Congregatione confectum, atque approbatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
CONTINUATÆ  
LIBER CLXVIII.

PIUS IV PONTIFEX MAXIMUS,  
FERDINANDUS I. postea MAXIMI-  
LIANUS II. IMPP. OCCID.

§. I.

*Sessio XXV. continuata: Indulgentiarum decretum in Congregatione confectum, atque approbatum.*

Sæc. XVI.  
A C 1563

Pallav. c. 8.

num. 1.

Sarp. l. 8.

pag. 775.

et 788.

Cum in priore Sessione omnium decretorum lectio absolvi non potuerit, ac plura adhuc maximi momenti superessent, hinc altera die Patres rursus convenere, atque eadem die quarta Decembris mane generalis habebatur congregatio, ut de argumentis post meridiem proponendis deliberaretur, ac tandem Synodus absolveretur: præprimis igitur sedulo agitabatur quæstio de Indulgentiis, consentibus Patrum potissimis, quod hac super re decisio peteretur: itaque in eadem hac congregatione decretum fuit

fuit confectum, ac recitatum, cum autem eidem quædam verba fuissent inserta, quæ prohibebant, ne certæ præscriberentur eleemosynæ ad lucrandas indulgentias, neve darentur illæ, quas suspensiones vocant, vi quarum alia diplomata vim haberent, hinc Salmanticensis Episcopus, necnon Lunensis Comes exponebant, per ejusmodi decretum abrogari Hispaniæ privilegia, quæ tamen potius dicere debuissent abusus. Itaque Patres ad illorum preces ea, quæ Hispanis molesta esse possent, ab hoc decreto expunxerunt.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1563.

§. II.

*Decretum de Indulgentiis.*

Post prandium Sessio pridie inchoata continuabatur, initiumque factum est a decreto indulgentiarum, quod publice prælectum his conceptum erat verbis: „Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque „hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus „illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus „indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum „Conciliorum auctoritate probatum, in „Ecclesia retinendum esse docet, & „præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt,

Labh. Col-  
lect. Conc. l. c.  
Pallav.  
num. 3. 4.

L 5

„vel